

# TOMORI PÁL KIADATLAN LEVELEI.

---

## I.

1508. október 20.

*Szeben sz. k. város tanácsának.*

Prudentes et circumspecti domini viri honorandi. Non est opus prolongare sermones. Bene sciunt dominaciones vestre, quod dominus solutionem debitorum meorum prestolatur. Jam aliquocies pecii a dominacionibus vestris, et hucusque hunc diem, hoc est adventum Oratorum suorum, eedem expectare fecerunt, ipsique domini oratores vestri, ut audiui, advenerunt. Rogo idcirco dominaciones vestras, tamquam dominos meos, quatenus ipsam summam velint remittere, quia nunquam ita necessaria michi fuerat, quemadmodum nunc. Certi sint dominaciones vestre, quod ipso modo eisdem regraciabor, quod alio tempore, si plures istis dedisset. (?) Quia si significare possem, habeo tam specialem confidenciam in vestris dominacionibus, quod eciam mutuo usque tempus daretis. Ceterum huic homini nostro ita credatis, tamquam michi. Ex Castro Fogaras feria sexta proxima post festum beati Luce Ewangeliste Anno 1508.

Paulus de Thomor.  
Castellanus castris fogaras.

*Kivül:* Prudentibus ac Circumspectis dominis Magistro ciuium Iudicibus et Iuratis Ciuibus Ciuitatis Cibiniensis dominis meis honorandis.

(A gyűrűpecséten álló alak, jobbjában hosszú lándzsával, úgy látszik camaea. — Eredetije Szeben sz. k. város levéltárában.)

## II.

1512. márczius 3.

*Szeben sz. k. város tanácsának.*

Prudentes et Circumspecti domini et amici honorandi. Deputaui erga vestras dominaciones hunc Andream Kálnay, hominem meum fidelem, presencium videlicet ostensorem, medio

cuius eisdem nonnulla nomine meo referenda intimaui. Quamobrem dominaciones vestras rogo attentissime, quatenus dictis et relictis eiusdem hominis mei, tanquam fidedigni, fidem prestare indubiam, eundemque optata cum relatione ad me remittere velint. Quas omnes fauste prospereque et feliciter valere cupio per tempora longa. Ex Castro Fogaras, feria quarta proxima ante dominicam Reminiscere. Anno etc. 1512.

Paulus de Tomor  
Castellanus Castri Fogaras etc.

*Kivül:* Prudentibus et Circumspectis dominis Magistro Ciuium Iudicibus Iuratisque Consulibus et Senioribus Ciuitatis Cibiniensis etc. dominis et amicis honorandis.

(A pecsét lemállott. — Eredetije Szeben sz. k. város levéltárában.)

### III.

1514. február 1-én.

*Szeben sz. k. város tanácsának.*

Nobiles Prudentesque domini et amici nobis honorandi. Quia Serenissimus dominus noster Rex etc. huic Nobili Melchiori Lwkam Ciui Budensi, pro suis pecuniis ad facta sue Maiestatis mutuatis, Nobis de presenti subsidio vestro duo milia florenorum dare deputauit, quos quidem duo milia florenos Nos apud vestras dominaciones eidem deputauimus; rogamus vestras dominaciones, tanquam dominos, requirimusque per presentes, quatenus eidem domino Melchiori de dicto subsidio, e medio vestri leuando, vel homini ipsius, presencium ostensori, huiusmodi duo milia florenos reddere et restituere velitis et debeatis, presentes pro vestra retentione expedicione. Requiritur insuper vestras dominaciones, quatenus ne velint ipsum istic procrastinare, qui iam multos labores pro ipsa pecunia fecit, et longe multum adhuc sua Maiestas eidem obligatur; sed quantocius ipsum, intuitu mei, expeditum reddere. Ex castro Fogaras, in vigilia festi purificationis virginis gloriose Anno 1514.

Paulus de Tomor Castellanus castri  
Fogaras, exactorque pecuniarum presentis  
subsidii Saxonici Regie Maiestatis  
propria manu.

*Kivül:* Prudentibus et Nobilibus dominis Magistro ciuium, Iudicibusque et Iuratis ciuibus ac Consilio Ciuitatis Cibiniensis etc. dominis et amicis honorandis.

(A pecsét ki nem vehető. — Eredetije Szeben sz. k. város levéltárában.)

## IV.

1515. ápril 30.

*Eperjes sz. k. város tanácsának.*

Prudentes ac Circumspecti domini et amici honorandi. Salutem. Pridem dominaciones vestre Nobilem Andream literatum de Corona Tricesimatorem Regium in Teatro Ciuitatis vestre decolare (*sic*) fecistis. Hic maximus tumultus insurrexit inter fratres illius, quem dominaciones vestre sine ordine juris interemissent. Imposuit Regnum hoc humeris meis, ut ego faciam rescire negocium, qualiter ille interemptus est, et eciam fui coactus illic mittere hunc Nobilem Stephanum Fanchaly fratrem et hominem nostrum, cui in hac re tamquam michi dominaciones vestre credere velint, qui eciam adduxit literas dominorum Brassouiensium dominacionibus vestris. Nullomodo possum laudare rem, qualiter hic famatur. Bene constat dominacionibus vestris, quod sum vicinus vester. Vellem vobis plus boni quam mali. Sed nil boni sencio pro futuro vobis, pro morte illius hominis. Nam pociores Ciuitatis Brassouiensis et terre Barcza fuerunt fratres illius, et inter Siculos habet tales fratres, quorum mores non omnino diligo. Optant rescire, qualiter condemnatus est, per hunc hominem meum. Item eciam dicunt, quod omnes res illius in predam conuertissetis. Consulo dominacionibus vestris, ut itinera vestra caute continuetis, usque aliquod tempus; quia dubito, ut rem hanc, sine auxilio aliquorum dominorum debito modo (?) complanere (*sic*), absque morte alicuius vestrum valeatis; quia sunt circa decem persone ex Sicilia pociores, quibus affinitate junctus fuit ille Andreas literatus. Item eciam fuit acolitus. Intellego, si res non complanabitur, tam jure mediante, quam extra jus volunt cum dominacionibus vestris procedere. Ibique in vicinitate vestra nullum ad hoc meliorem scio, quam Nicolaum Tharczay, qui tam in Curia Regia, quam in isto Regno huic rei facilius obuiare valeat, quia honor illius non parue importancie sit ubique. Consulo igitur, ut dominaciones vestre fratres illius pro minimo inimico non estiment. Preterea ex quo ego fui coactus ad vos mittere hominem meum, cum literis Brassouiensium, tamquam homo communis, velint illis relacionem facere, medio huius hominis nostri.

Item, si quas res et bona ibi habet vel habuit, dominaciones vestre assignent ad manus ciuium Ciuitatis Cassouiensis, tamquam ad manus fideles, ne et illas super vos requirant, presente homine nostro, si eisdem videbitur. Et quo consulcius dominacionibus vestris videbitur, ita agant. Quia non tantummodo pro ipsis fratribus condam Andree literati misi iustic hunc hominem nostrum, sed plus pro dominacionibus vestris, quia ego nil boni senciebam in

rebus ipsis velle incipere. Pro eo, si qua voluntas dominacionum vestrarum erit, michi tam rescribere et intimare poterunt per hunc hominem. Cetera latori presencium credere velitis. Ex Castro Fogaras in profesto Beatorum Philippi et Jacobi apostolorum 1515.

Paulus Thomory Castellanus  
Castrorum Munkach et Fogaras propria manu.

*Kivül*: Prudentibus ac Circumspectis Judici Juratisque Ciuibus et Consilio Ciuitatis Eperyes, dominis et amicis honorandis.

(Erededije Eperjes sz. k. város levéltárában.)

## V.

1515. junius 12.

*Eperjes sz. k. város tancsának.*

Prudentes ac Circumspecti domiui et vicini nobis honorandi. Salutem fraternalem. Literas dominacionum vestrarum, unacum aliis literis dominorum Stephani a Rozgon, Nicolai Tharczay ac Nobilium Comitatus de Saros, per hunc amicum nostrum et conciuem vestrum, latorem presencium, accepi cum honore, in quibus omnibus istis clare comperiuntur (?) illum condam Andream dominaciones vestre iuste et legitime morte condemnasse. Nunc illas literas supradictas, illuc unde michi causa ista commendata erat transmissi; quia, ut in prioribus literis meis, eisdem missis, puto dominaciones vestras intellexisse, ut inquisicio istius cause erat michi imposita, quasi coacte, per maiores Regni, ubi fratres illius decolati conquerebantur. Ex alia autem parte, quas domini Cassouienses huc direxerunt, in multis rigmis (?) discordant litere illorum eum literis vestrarum dominacionum. Igitur sciant dominaciones vestre, ulterius michi in hac causa non sit necessitas procedendi; quia id que (*sic*) michi impositum fuit, ea rescui, tam ex literis dominacionum vestrarum, domini Stephani Rozgony, domini Tharczay et Comitatus de Saros, item et de literis Cassouiensium, quas in specie eisdem transmissi, ex quibus eligant quicquid volunt.

Item, dominaciones vestre ne ad hunc latorem vestrum egre ferant, quod solus Brassouiam non intrauit ad Consulatum, quia ego illum non permisi. Timui, ne per Siculos scandalisaretur. Ibi igitur literas dominacionum vestrarum, per proprium hominem meum specialem, immiseram; per quem dominacionibus vestris literatorie fecerunt relacionem. Licet michi de Consulatu eciam mica verba intimarant, sed heri frater carnalis cum aliis ceteris fratribus illius decolati, circa equites XXXII. venerant erga nos; voluerunt, ut facietenus loquantur cum nuncio domi-

nacionumstrarum. Ego illis intimavi, quod in nomine domini loquantur, sed ego etiam volo presens esse, et aliquod verbum scandalosum contra nuncium vel Consulatam vestram coram me non loquantur, quia illis nollem parcere. Illi reintimaverunt, quod omnia, cum honore loquerentur. Breuiter fuerunt facietenus personaliter coram nuncio vestro, et peccierunt me, coram homine vestro, ne ulterius in hac causa procedam et fatigas imponam, quia qualiter condempnassent fratrem eorum, eadem via vellent procedere cum vestris dominacionibus. Quid igitur ego illis tunc respondi, poterit nuncius dominacionumstrarum referre. Nam dixi illis, quod ciues de Eperyes eundem Deum et Regem habent, sicuti ipsi. Comiseram et huic vestro nuncio, ut audaciter iura vestra proponat; quia scio et sciui mores Siculorum, ut nec Deum, nec hominem timent. Ibi multa verba fuerunt, et sic ad hospicium redierunt.

Noluerunt etiam res illius interfecti assignari ad aliquorum manus, asserentes, quod res haberent satis, sed pro fratre non habent alium; nam aliter vellent vindicare res et mortem fratris ipsorum.

Item, intellexi domini et amici, quod nil boni possim inter vos facere. Inuitavi omnes illos ad castrum. Multa ibi declaravi illis, quod non deberent agere contra iusticiam, quia esset magna distancia Eperyes ad Siculiam; et etiam ne videar et ego, quod alicuius momenti non sim inter vos. Breuiter, ad hoc omnes illos coegi, et promissiones michi fecerunt, ut usque festum Beati Michaelis Archangeli, nullus tandem possit dicere, quod sicatorie vellent procedere; sed qualitercumque possunt, si etiam usque decem annos procederent, sed mortem fratris eorum vindicare vellent.

Nam prorogacionem propterea feci cum ipsis fieri, ut mercancias dominaciones vestre possint secure ferre, tam Waradinum, quam Budam; promiserunt michi firme obseruari; tum ex eo, tum quod interim potestis extrahere aliquas literas Regie Maiestatis, precipientes illis, sub nota perpetue infidelitatis, ne vos injuste in rebus aut in persona extra iudicium impedire presumant, alioquin dominus Wayuoda Transsiluanus talium res et bona faciat occupari Regie Maiestati. Quia sciant dominaciones vestre, quod sine periculo alicuius vestrum ista causa non sedabitur, nisi aliter rem pacificabitis.

Interim, si ego possum illos reflectere, sciatis quod non secus facio, tamquam si negocia propria essent. Nam ciues Saxones possem reflecti; sed illi Siculi estimant, quem interfecerunt, ut ille in alio mundo seruator suus efficietur. Nam secreto dicendo, sunt inter illos tales, etiam si frater illi non esset, duobus — non timerent animam suam, sed hominem interficerent. (?)

Omnino igitur dominaciones vestre, usque illud festum Beati Michaelis ineant, meo iudicio, cum ipsis ad compositionem, medio proborum hominum; quia pro verecundia eciam genelogia aliquid attemptat facere pro morte fratris ipsorum.

Item, hoc consulte fecistis, quod miseratis literas Comitatus de Saros; quia Vicewayuode et Nobiles multum credunt talibus literis. Igitur quicquid facere vultis in rebus premissis, per iter agentes, in una litera vestra me certum reddere potestis; et sciatis, quod quicquid pro vobis facere poterō, non desinam. Omnino cogatis vos ad aliquam solutionem illius *anime* (?) decolati, forsitan possumus mitigare illos; sed, nouit Deus, nil ab ipsis intellexi aliquid optare in hunc diem.

Ultimo, habeo et ego fratres in vicinatu dominacionum vestrarum, Emericum et Franciscum de Kellemes. Rogo, sint illis boni vicini, intuitu amicitie mee, quia sunt michi fratres propinqui. Alia is vester conciuus dicet, cui credere licet. Ex castro Fogaras, feria tertia proxima intra octauas Sacratissimi Corporis Christi, anno eiusdem 1515.

Paulus Thomory Comes et  
Castellanus Castrorum Mwnkach et  
Fogaras propria manu.

Item sciant dominaciones vestre, quod cum Iudice Brasso- uisiensi Joanne Benkner sum tali amicitia junctus, ut hactenus non multa verba mea postposuit; sed igitur loquatur et illi litera Regia ante omnes.

(Eredetije, melyről a boriték hiányzik, Eperjes sz. k. város levéltárában.)

## VI.

1515. szeptember 5.

*Szeben sz. k. város tanácsának.*

Prudentes et Egregii domini nobis honorandissimi. Post salutem. Erga vestras dominationes hos Laurencium fratrem et Johannem Regy, seruitores meos, pro restanciis illarum pecuniarum, quas Regia Maiestas manibus domini nostri dare, presente domino Michaeli notario vestro, commisit, ut ex suis literis clarius comperietis. Quare rogamus dominaciones vestras, quatenus omnes illas restancias manibus prefatorum ostensorum dare et conferre debeatis. Et presentes pro expeditione reseruare poteritis, si erit necessarium. Verbis quoque horum latorum presentium, tanquam nostris fidem indubiam adhibere velitis, tanquam nostris. (*sic*) Datum Thorde feria quarta proxima ante festum Natiuitatis Beatissime Virginis Marie Anno 1515.

Paulus Thomory Castellanus  
castrorum Munkach et Fogaras propria manu.

*Kivül:* Egregiis et Prudentibus dominis Magistro civium, Iudicibus et Iuratis civibus Civitatis Cibiniensis, dominis nobis honorandis.

(A pecsét ki nem vehető. — Eredetije Szeben sz. k. város levéltárában.)

## VII.

1515. november 18.

*Eperjes sz. k. város tanácsának.*

Prudentes ac Nobiles domini et amici honorandissimi. Post salutem. Accepi literas dominacionum vestrarum, cum literis Serenissimi nostri Regis, fratribus et amicis illius interempti sonantibus, et profecto bene et consulte fecerunt, ut has literas ad me direxerunt; intuituque dominacionum vestrarum, ego illas ad locum necessarium transmittam. Scio quod dominus Johannes Benkner et alii sui civitatenses mandato regio obtemperant. Sed, domini mei timeo a Siculis ribaldis vos, qui nec deum, nec homines timent, ymmo nec justum, nec injustum. Verum inpresenciarum, tempore exitus mei, nil mali sensi, quia illos relinqui in exercitu domini Wayuode. Attamen alii fratres, quas literas michi miserant super promissione mea, ut usque festum Beati Michaelis Archangeli promiseram dominacionibus vestris, ut nullum ex vobis, nec verbis, nec minis afficient, illas ego dudum, per vestrum Baccalarium ad Cracouiam transeuntem, transmisi dominacionibus vestris. Ex quibus intelligere potuerunt totam malam mentem ipsorum; et bonum est illas vobis conseruare; quia nullomodo vobis illas misissent; sed in tenore sum petitus, ut vobis dirigam. Tamen qui obiit mortuus est. Caueant tantummodo igitur dominaciones vestre se a nimia noticia fratrum illius. Quia, quantum inspicere mentem illorum possum, mors illius sine aliquali discrimine non praeteribit; saltem si maiores terrebunt illos. Ex quo sua Maiestas, sub amissione rerum, illis precepit, et ego quantum possum, videbunt dominaciones vestre, ut taliter illis scribam, et in mentem redigam, ut extra iudicium dominaciones vestras non requirant; sed inter tanta mala et tot fatigas, vellem, ut hanc curam deponeretis, et dispositioni aliquorum amicorum daretis. Quia carissimi domini; tot sunt cure michi nunc nouiter, in negociis Camerarum Transsiluanarum imposite, ut vix ulterius in istis procedere possum. Nichilominus nunc sum in itinere versus Budam, et usque festum Beati Nicolai Episcopi ero ibi. Siquid consulitur in rebus facere interim, per illos qui ad illas nundinas descendunt, reddatis certum, et intuitu dominacionum vestrarum, dum in negociis Regie Maiestatis non occupabor, animo libenti laborabo. Sed bonum fuisset, ut in literis Regie Maiestatis inscriptus fuisset Egregius dominus Johannes Lwlay Comes Camere Cibiniensis, quia et ille jam in illam incidit

genelogiam, qui nunc ad officium Thesaurariatus secreto scribendo est vocatus, sed michi dixit, ut nullo assumpneret, quia medio mei Regia Maiestas illum nunc vocavit Budam. Si igitur illi illud onus imponitur, extunc rogo, ut si antea intencionem concordandi non habuistis, eciam concordetis, ea ratione, ut plures habeatis amicos quam inimicos. Valere dominaciones vestras opto. Ex Welezd die dominico proximo ante festum Beate Elysabeth vidue, anno 1515.

Paulus Thomory Comes  
et Castellanus manu propria.

*Kivül:* Prudentibus ac Nobilibus Iudici et Juratis Ciuibus Civitatis Eperyes dominis et amicis honorandis.

(Eredetije, gyűrűpecséttel, Eperjes sz. k. város levéltárában.)

### VIII.

1518. augusztus 17.

*Szeben sz. k. város tanácsának.*

Egregii domini honorandi, post salutem. Dominis Camerariis salium Transsilvanicarum articulos, quos in Conuentu Tholnensi Regnicole concluserant, quibus vero Regia Maiestas et domini Prelati ac Barones in consilio assensum prebuerunt, et eciam totum negocium huius Regni consistit, scripseramus. Quos articulos pronunc eciam vestris dominacionibus Egregiis transmisimus. Ex quibus vestre dominaciones Egregie negocia Regni omnino intelligent. Quoniam ad festum Beati Michaelis Archangeli Regia Maiestas, domini Prelati, Barones et Nobiles omnes Bachiam conuenient. Sed tamen interim timendum est de Jaycza.

Item, ad Summum Pontificem ac consimiliter ad Cesaream Maiestatem elegerunt dominum Stephanum Werbewcy, Paulum Horwath Charlawisth dictum, et Johannem Thornally, de quarto ignoratur.

Item, ad Regem vero Polonie elegerunt Paulum Arthandy et Michaelem Kenderessy. Alia non sunt, que digna essent ad scribendum. Ceterum vestre dominaciones Egregie valeant feliciter. Datum Bude, feria tertia proxima post festum Ascensionis Beatissime Marie Virginis Anno domini 1518.

Paulus de Thomor Castellanus  
Castrorum Munkach et Fogaras.

*Kivül:* Ad manus Egregiorum dominorum Johanni Lwlay et Pauli Horvath ad Cibinium dentur.

(A pecsét ki nem vehető. — Eredetije Szeben sz. k. város levéltárában.)



## IX.

1519. april 11.

*Szeben sz. k. város tanácsának.*

Prudentes ac Circumspecti domini nobis honorandi, post salutem. Ea que vestre dominaciones scribant ex parte metarum possessionis Syberk cum castellanis meis, si in eadem intencione sint, qualiter cum dominis Magistro ciuium et domini Judici (*sic*) in Kyrz fui locutus, sciant vestre dominaciones, quod una cum ipsis in illa causa sic locutus sum, quod causa ista prorogetur ad ulteriorem terminum, inter utrasque partes pro reuisione, statu in eodem, in quo causa vertitur ad eundem terminum, quem ego similiter cum vestris dominacionibus unanimiter prefixeramus; ita ut ante duos menses, quando utraque pars ad suam causam stare voluerit, in scitum alterius partis dare debeat, ut competencius valeant causis ipsorum inuigilare. Interim autem terras illas, qualiter unaquaque pars ante litis ingressum gubernauit et rexit, illo modo utantur. Tamen ego castellanos meos ad hoc, si possum, conducam, ut breui perpetuam pacem cum illis seruabo (*sic*). Quoniam sciant dominaciones vestre, quod voluntas domini mei est, ut de castro suo nulla aliqualis occupacio terris Regie Maiestatis fiat, et nec fiet tempore mei. Dominaciones vestre eciam eosdem ciues petant, si terra ipsorum eisdem necessaria erit, cum conuencione vel aliquali notacione, ut unus alteri occupacionem futuram non pretendant, velint eciam cum bona vicinitate adesse. De equis in byrsagium datis tam repente non possum, dominacionibus vestris respondere; tamen cum tempore dabo operam, ut non paciantur multa dampna. Ex Castro Fogaras feria secunda post Judica 1519.

Paulus de Thomor  
Castellanus castri Fogaras.

Prudentibus ac Cirumspectis dominis Magistro Ciuium Iudicibus et Juratis Ciuibus Ciuitatis Cibiniensis etc. dominis nobis honorandis dentur.

(A pecsét lemállott. — Ercdetije Szeben sz. k. város levéltárában.)

## X.

1525. október elején.

*Bakics Pálnak.*

Magnifice Domine et fili in Christo carissime. Post salutem et fraternalem amorem. Venerunt salui seruitores vestri ad nos, ex quibus duos misimus ad regiam Maiestatem, quia tales perso-

nās non sumus ausi hic retinere, sine scitu regio. Putamus, quod sua Maiestas providebit illos cum expensis. Quid autem nobis scribitis de nouitatibus Imbrey m bassa, nos aliter intellexeramus; sed credimus literis Vestre Magnificencie, plus aliis. Sed ducimur admiratione magna tam de repentino exitu vestro, quia Serenissimus Dominus noster Rex voluit, ut Vestra Magnifica Dominatio esset et seruiret sibi in illo regno, quousque cum aliis fratribus et principibus deliberabit, quid cum Cesare Turcorum agat. Hactenus laborauit sua Maiestas, ut pacificando inuictissimum Imperatorem cum Regibus Francie, Portugalie et Anglie; que omnia ad vota cesserunt. Itaque quousque vester homo non redibit a sua Maiestate, nullomodo vos moueatis. Misimus enim cum hominibus nostris duos ex vestris, ut sua Maiestas det locum vobis; quia que sua Maiestas in literis, quas habetis, vobis promisit, non sperauit tam cito exitum vestrum; igitur nullum locum vobis assignauit hucusque; sed speramus, quod infra XV. dies habebimus responsum. Si agitur pro vita vestra, veniatis; sua Maiestas quod vobis promisit, non dubito quin adimplebit. Sed si pro vita et rebus vestris non agitur per Turcos, expectetis a sua Maiestate et de vobis; quia ibi plus poteritis seruire christianitati quam hic; quia scitis, quod ego nullum jobagionem possum vobis conferre; sum barath, et bona sunt Ecclesiarum. De bonis condam Ducis scio deputabit Regia Maiestas aliquid vobis; sed de jure cesserunt Domino Vajvode Transilvano. Sed libere vellem, ut secreto diceretis mihi, quanto essetis hic contenti ad tempus; quia nollem, quod ad nihilum exiretis, et vos et posteris vestri Regiam Maiestatem et me perpetuo anatematizaretis. Cetera hii Myla et Rozthadyn vobis dicent.

(Ezen levelet Tomory Pál, 1525. október 12-én, Szalkai érseknek és Bornemissza Jánosnak írt leveléhez mellékelte. Mint ezen levélnek melléklete másolatban, Burgio pápai nuntius által, 1525. október 28-án Rómába küldetett. Az egykorú másolat ily czimet visel: *Litere Colocensis ad Paulum qui ex Turcia huc transfugere vult.* — A vatikáni titkos levéltárban. *Litterae diversorum ad Clementem Papam VII. Volumen II. 66 és köv. lev.*)

## XI.

1525. oktober 12.

*Szalkai László érseknek és Bornemissza Jánosnak.*

Reuerendissime et Magnifici Domini viri in Christo michi gratiosissimi, post seruitium et mei ipsius commendationem. Thomas w. qualiter expeditus sit de hiis nil ad presens, sed superuenerunt mihi due littere a domino paulo Bakyth Wayuode, quas

in specie Regie Maiestati transmissi, interpretationem autem ad alias reclusas literas, quas Vestris Dominacionibus transmissi. Exierunt quinque sui seruitores bone condicionis, cum omnibus rebus et uxoribus, medio quorum mihi seruiuit intus. Isti non intelligunt voluntatem Pauli, nisi unus, quem rursus immisi; ut intellexi. Stephanus Wrathkoluyth etiam fuit cum ipso. De Wrathkoluyth tenet secreto, quod ipse habet hic domum. Jam intellexerunt omnino, quod isti fuerunt fideles huc; est mirabilis Paulus, petit a me vadum; dicit seruitor suus Rozthadyn, quod omnia argenteria sua et res speciales collocavit ad alpes, quas tres curris vix portare possunt. Is si exhibit, est maior persona quam condam Helmostwyth fuit, vel Domini Jazith nunc forent. Agant pro Deo Dominaciones Vestre apud suam Maiestatem, ut det illis locum, quo descendant, quia tota Turcia tremescet, si homo ille exhibit. Nunquam ego credidissem, quod ille exeat, quia habet circa quinquaginta possessiones et terram suam vocatam Bakythfelde. Ego si haberem, omnia cum illo participarem. Videtur defecisse in hominibus pars inferior, nullum habet principem, nisi tres viduas. Practica istius non erit parua, quia prout sentio a longe, per hunc Johannem tricesimatorem Regie Maiestatis, intimaui Vestris Dominacionibus aliqua ex parte sui.

Balibegh secreto mihi intimaui, non per nuncios suos, qui erant beslic Cesaris, sed qui equum mihi presentatum tenebat, per illum mihi multa nunciauit; et dicit, si poterit a Cesare habere occasionem, quod omnino vult mecum loqui quatuor vel quinque verba ante mortem. Dicit quod solus queram viam, et omnia ita faciet, si a Cesare poterit habere libertatem, quia modo Cesar iussit mihi mittere istud munus, et quod habeat mecum amicitiam, interim quousque gentes huc mittet vel solus veniet. Igitur supplico Vestris Dominacionibus disponant cum Domino Thesaurario aliqua dona, ad rationem seruitiorum meorum, ut mittam rursus illi, et que erunt illi intimanda Vestre Dominaciones significant. Quales autem literas Paulo scripsi, pariam inclusi. Si igitur aduenerit, pro Deo altissimo, detur sibi locus aptus. Forsitan Deus talia efficiet per tales, quod tam cito non peribit istud regnum temporibus nostris. Alia predictus Joannes Dominacionibus vestris referet, cui credere licet. Istos seruitores ipsius videant Vestre Dominaciones gratiose; si conuenit, quod Regia Maiestas tangat manus illis, et dent illis pannum et aliquas tepen (?), de quibus hic possent participare cum aliis, et valeant condescendere cum uxoribus, quia grauissime torquentur in victualibus ubique, in tali caristia; istos non teneant superius, sed quanto citius una cum Joanne expendant, oro et supplico Vestris Dominacionibus.

Supplico, ut que sunt promissa mihi soluenda ad festum beati nicolai soluerent. Hoc tempore, quia confederati sunt hic,

tam huzarones et pedites, ut castrum relinquunt in vacuum, si preterita eisdem non solvero, cum duobus prauis (*sic*) denariis.

Comitatus Walko cepit a me licentiam, ut Regia Maiestas illis concessit gentes seruare, ubi soli volunt. His auditis, Comitatus eciam Tolnensis gentes transierunt domum, et iam ceteri eciam soluerunt. Si bene actum est, nescio.

Timeo in omnibus maius malum quam bonum. Amplius Dominaciones Vestras Altissimus semper felicissime ad vota conseruet. Ex castro Waradini Petri feria quinta proxima ante diem beati Calixti pape anno Domini 1525.

Non possum adducere abbatem Pechwaradensem huc, ut gentes mittet. Dominus Episcopus Quinqueelesiensis misit centum armiferos. Rogo Vestra Rma Dominacio velit operam dare, ut Comitatus Tholnensis transeat ad Jayzam, ex quo abhinc recesserunt, quam omnibus dederunt malum signum gentes ipsorum; utitur Pechwaradiensis Abbas etiam, uti intelligo, illorum consilio.

Item gentes Domini Episcopi Waciensis adhuc ego non vidi, et neque gentes comitatus Neugradiensis. Maxima querimonia est, quod unus seruit et alter non seruit. Nescio quis inuenit modum ita tacendi (?), et neque Domini Bathorienses habent gentes, bene sciunt Vestre Dominaciones Reuerendissime Magnificus Laurentius Banffy est Dominus abundans, et habet jobagiones plusquam duo millia; inseruit in medium Comitatus de Walko et totus Comitatus tenet equites XVI husarones (*sic*) Rogo igitur Vestra Rma Dominacio velit sibi literas mittere, ut gentes suas mittat ad nos, et quod non conuenit ipsuni in medium Comitatus gentes seruare; quia ad minus semper poterit XL-ta equites dare. Habet hic etiam quinque castra, puta Zara, Zenthmiklos, Zlakocz, Chirua et domos, qui Comitatus Bacsensis bonam partem solum acquirit thesauros. Dum autem in consilio erat, promittebet equos CC dare et modo nullum tenet.

(Egykorú másolata, mely ily czímet visel: Litere Colocensis ad Dominum Strigoniensem et Bornemissam, con le di 28. d'Octobre. — Burgio pápai nuntius által 1525. október 28-án Rómába küldetett. — A vatikáni titkos levéltárban.)

## XII.

1526. május elején.

II. Lajos királynak.

Sacra Regia Maiestas. Dum cum peditibus Sanctissimi huc attigissem, ante duas horas, obuiauit mihi unus adolescens, cum literis Domini Pauli Bakyth et Thomae Poduynnyay, sub castro

Domini Michaelis Keserew Walkowar; interim autem retinui adolescentem, quousque castrum Zatha attigissem, ubi ex fortuna accidit Dominum Bakyth istic venisse, qui rursus post scripta sua, hominem habuit e Turcia, ab eodem homine, qui quidem Maiestati vestre Sacratissime literas miserat sibi (*sic*) tali modo:

»Charissime frater, rogo te ut ad me pro hac causa non inmittas de caetero; quia quiquid vere sciui, omnia rescripsi Regiae Maiestati et Colocensi, neque aliter credatis esse factum, nisi in festo Georgii Martyris Cesar se mouit contra Ungariam personaliter, et eidem dicit, quod omnia ligna pontium et attentie sunt preparete in Henderaul et Alba; nisi conclauari indigent.«

Serenissime Princeps, terra ista territa est in tantum, quod si quanto citius gentibus non succurreretur, non est qui hic perseuerare audeat. Bene scit Vestra Maiestas S. quantis gentibus descendi, et dicunt hic qui mecum sunt, quod non debuissim descendere cum tanta paucitate gentium, quia inimico Maiestatis Vestre tantum animum augmento.

Preterea gratiosissime Domine, Paulus Bakyth supplicat pro uno loco, consorti sue, filiis et aliis suis domesticis secum eductis, ut ad partes superiores mittere possit; ut solus magis et solertius valeat continuis hic esse in seruitiis Vestre Maiestatis; quia si pre manibus haberet castrum per Maiestatem Vestram S. sibi datum, non illo confideret consortem suam, ex quo est in confinibus. Pro quo et ego supplico Vestre Maiestati, ut detur locus oportunos sibi pro contorali; ex hoc enim maxima fidelitas in eo cernitur, ut hic optat; quia consors sua est similiter de bona familia in regno bosnie.

Maiestas Vestra cito remittat Michaelem Rwoytt, quia socium suum interfecerunt rustici, et timeo qualiter omnes Turciam aufugent, si cito non rediret.

Maiestas Vestra S. regnum suum nullomodo diuidere permittat, nisi festum Penthecostes expectent insimul, cum eisdem prouideat et gentibus omnia confinia, quia prout intelligimus, sine dubio Maiestas Vestra habebit Cesarem in suo regno.

Item Nasadistas crastino die attacabo (?), si leuare possum; sed nazados de Sclauonia et saykas per Dominum Strigoniensem preparatos festinanter remittat.

Item gratiosissime Princeps, indigeo plumbo et pulueribus, quia certum est, Cesar missit parare et portare secum cementum, ut re habita, Petro Waradinum illico fortificet. Necesse erit ut solus in illo permaneam. Maiestas Vestra S. mittat Capitaneum, quem missurus est, quia tempus est.

Item excellentissime Princeps, Maiestas Vestra ab eo tempore Paulum Bakyth nullomodo prouidit, ut eguit, ipse explora-

tiones non poterit facere in propriis expensis; quia si Dominus Baro non prouidisset, nescio qualiter hactenus stetisset.

Item Maiestas Vestra S. respondeat Domino Bakyth ad petita, quia homo est multum desperatus, ex quo nullum apparatus videt Maiestatis Vestre contra Cesarem; dicit enim, quod tantummodo tot homines videt, quantum sunt deputati pro camelis Cesaris, quando ibit ad talem expeditionem etiam libenter videret; ipse enim dicit, quod secus non erit nisi Cesar veniet. Maiestas Vestra S. curet, ut inexpeditum se non reperiat. Scio, quod multi dicunt, quod est fama monachalis, que scribo; sed ego vera scribo, que ab amicis audio, et in scriptis video. Tempus est, si Maiestas Vestra se precinget. Altissimus tandem conseruet.

(Egykorú másolata, melynek élén áll: Litere Colocensis ad Regem Ungarie con le di IX. Maggio Burgio 1526. május 9-iki jelentéséhez mel-  
lékelve, a vatikáni levéltárban.)

### XIII.

1526. julius elején.

#### II. Lajos királynak.

Domine gratiosissime. Si vis navalis sub isto castro prohi-  
beri non poterit, que sine gentibus fieri nequit, ignoro quomodo  
Vestra Maiestas S. et penes Drauum castrametari poterit. Ego,  
ut promisi, gentes leuare non possum, et hii qui penes Danu-  
bium fuerunt rustici, omnes jam aufugerunt, visa gentum paucitate  
et Dominorum absentia. Jam modo nos sumus infra Fwthak, cum  
gentibus nostris solummodo; in Fwthak autem gentes Dominorum  
Strigoniensis et Quinqueelesiensis. Et ex castro eduxi duodecim  
ingenia campestralia, cum omnibus attinentiis et equis; sunt illa in  
platea, cum centum peditibus saltem; sed nullus est qui veniat;  
nisi aliunde audio dicere *had wzzon az barath*. Ceteri pedites  
etiam ad castrum sunt pauci. Ego hec scripsi Maiestati Vestrae S.  
dubito, quin Maiestatem Vestram S. cum tot litteris aggrauabo,  
de quo peto veniam. Jam a recessu Domini Zerethey in tali ad-  
uentu Cesaris non merui informationem, nec literas Maiestatis  
Vestrae habere, quid simus facturi. Forsitan adhuc credit illis  
Maiestas Vestra, qui ad caput se obligarunt quod Cesar non veniet,  
et ita effeminaliter amittere Regnum suum, videat Maiestas Vestra  
S. Sed si Maiestas Vestra semper longo consilio vult uti, et  
prius omnes causas litigantium determinare, ego non laudo, nec  
pro parte. Vestrae Maiestatis, nec pro defensione regni sui. Terra  
est commota et fugit cum fletu et ululatu, non habet protectorem;  
ut cum pace dicam, non habemus regem, nisi Cesarem, quem  
Deus dimergat in profundum. Vel si Maiestas Vestra et Domini

Consiliarii Vestrae Maiestatis S. expectant Cesarem ad vallem Rayazo, extunc informet me, quod christianos pauperes propellam ante illos, ne sic inutiliter ad prophana condonemus eosdem. Non dubito, quod propter talia scripta et verba mea esurient hic milites Vestrae Maiestatis S., quibus si cita prouisio non erit, nescio quid erit in negotio. Tempus est, quicquid Maiestas Vestra fecerit, et ubi vult Cesarem expectare, tractet de loco et modo et ordine, et significet nobis. Quia sciat Vestra Maiestas S., quod pontem non pro foro faciendo preparari fecit. Si autem Domini aut assessores cum Maiestate Vestra constituti nolunt ad hec consulere, videant illi, quid illis erit per quos regnum amittitur, qui in persona totius regni penes Maiestatem Vestram S. deputati sunt.

Cesar exiit in festo Beati Georgii Martyris de Constanti-nopoli, contra Maiestatem Vestram; quasi omni ebdomada scripsi literas Vestrae Maiestati; adhuc autem Maiestas Vestra et Do-mini neque babata equorum confecerunt.

Supplico Maiestati Vestrae, Dominum Paulum Bakyth remittat cum optata relatione, quia si etiam non mereretur, hoc tempore tali persone Maiestas Vestra S. debet sibi aliquid hereditati conferre. Nam non dubito quod Rasciani, qualiter in Turcia nunc oppressi sunt, si quid boni vident, hic soli Cesarem ad manus dabunt.

Supplico et quod Maiestas Vestra mittat pecunias huc gentibus mecum existentibus. Supplico pro Nazadistis et capitaneo, quibus Maiestas Vestra S. nullomodo carere potest. Efficiat pro Deo Maiestas Vestra alibi florenos termille et mittat saykas et nazados. Possumus infra ebdomadam inuenire mille nazadistas ultra istos.

Dignetur Maiestas Vestra petere Magnificum Dominum Baronem Apostolicum, ut illis quingentis peditibus, qui in Castro Waradini Petri sunt, mitteret rursus stipendium, quia terminus solutionis explebitur in festo Marie Magdalene, et si ante duas ebdomadas non intellexerint pecunias hic esse, omnes aufugient de castro, quia satis magnis exhortationibus ad castra eos induxi. (Egykorú másolata, *melynek élén áll*: Copia literarum Colocensis con le di VII. luglio — Burgio július 8-iki jelentésének melléklete — a vatikáni levéltárban.)

#### XIV.

1526. július 5.

*II. Lajos királynak.*

Serenissime Princeps et Domine Domine in Christo mihi semper gratiosissime. Post fidelium meorum seruitiorum et orationum in Domino deuotarum humillimam exhibitionem. Nunquam

pro certo verba mea in tantum apud Vestram Maiestatem incredibilia fuisse sum arbitratus, sicut nunc ab homine Vestrae Maiestatis, Vestrae Maiestati per banum suum de Jaycza fuisse intimatum. Cesarem Turcorum, si id honeste fieri posset, cupere reuerti. A principio et ego Vestrae Maiestati vera que intelligere potui significaui; non enim oblitus eram aliquando Vestram Maiestatem meum gratiosissimum Dominum fuisse, cum quo nunquam iocari ausus sum, nec volui; sed ea semper que ad regni eiusdem defensionem percipere potui, fideliter Vestrae Maiestati dies noctes intimare studui. Tamen hoc tempore pernicioso Vestra Maiestas et me penitus oblita, talium forsitan consilio, qui Cesarem reuerti velle et Zawum transfretare non audere dixerunt, ad plenum deseruit. Cum tamen nudius tertius verus explorator rediit, et die hodierna, sicuti antehac quottidie, fideles Maiestatis Vestrae seruitores de vado Zawii, ubi pons paratus est, reuenerunt et dixerunt, quod plura quam tria millia tentoriorum iam in ista parte Zawii in Sirimio fixa sunt, prout estimare potuerunt. Jacent autem gentes Turcarum ex opposito Saraspathaka in longitudine Echege et ciuitate Zemplyn; ex alia autem parte ulteriori planiciem et siluas dicunt totaliter tentoriis et fixas esse et repletas, si est aliquis fidelium eiusdem Vestrae Maiestatis, qui loci illius memor existat, et adhuc domum Balybegi, quam fecerat illic extra ciuitatem; dicunt passim tot tentoria magna et parua Janicharorum in magno terre spatio haberi, ut de recenti ab hominibus qui illa a longe conspicerent, apparerent oves esse innumerabiles; nondum tamen ingenia ipsius Cesaris traiecta sunt, sed modo transuadant cum illis fluium Mwra. Jam igitur videat sola Maiestas Vestra, si quid huic regno suo poterit succurrere, et si cogitat hoc regnum suum esse; nam Cesar operatur pro eo satis feruenti cura, qui castra sua condescendere fecit in loco qui nominatur Wrachar, expectans saltem ingenia, et Baryan quod habebit concedere feria secunda ventura, et Deo immolationes facere, cum thauris, camelis et ouibus; principatui sui exercitus est commissum esse immolationibus. (*sic*)

Scripsit autem Maiestas Vestra in fine literarum suarum, ut vada ipsa ita bene custodire deberem, ne hostis Zawm ad has partes transire posset. Quod profecto, omnium testimonio, poterat fieri, si illi Domini per Maiestatem Vestram huc deputati, non per caneros gradiebantur descendendo, et eos Maiestas Vestra S. ad alia loca non revocabat. Commisit enim Maiestas Vestra Domino Episcopo Quinqueelesiensi, ut saltem ad Eseek conueniant erga Dominum Palatinum. Comitatus autem Chongradiensis et etiam de Bodrog, cuius et iurisdictio prius huc pertinebat, Maiestas Vestra, una cum quinta parte rusticorum ipsorum, vocauit ex hinc; alios ad se, alios aliis deputauit. Modo autem hic in



Serimio nemo est, preter gentes Cesaris Turcorum, et hos paucos famelicos seruitores Maiestatis Vestrae, quibus eadem soluit. Igitur non solummodo per Zawum, verum etiam per Danubium cogimur inimicos transmittere, velle et nolle. Non enim habeo cum quibus resistere. Jussit autem mihi Maiestas Vestra extra hoc castrum fieri. Itaque Maiestas Vestra iam assignet et mihi locum, ad quem Dominorum me conferre debeam, cum istis paucis.

Peditibus etiam Vestrae Maiestatis in hoc castro existentibus, mensis expirabit; statim quidem timeo pro certo ne omnes aufugient, et hoc castrum vacuum deserant. Nam est testis mihi solus Deus, quod ego non habeam quid illis conferam. Argentarias autem Ecclesiarum ad hec Maiestas Vestra mihi non prebeat, quia non audeo recipere; tam ex conscientia, tam quia mihi pro nunc ad hoc negocium nihil prodesset, quia hic nec cutores monetarum, nec cui impignorarem, habentur.

Pauci etiam Nazadiste Maiestatis Vestrae, iam sunt multi dies, quod continue iacent per Nazados; sed non habent quid manducant, et nisi Maiestas Vestra per ebdomadam eos pecuniis prouiderit, verum est quod omnes aufugient; nec poterunt famem hic sufferre. Quo facto et vis naualis Turcorum, sine prohibitione omni, libere poterit ascendere. Quod enim Maiestas Vestra nuper per me eis miserat, ad debita statim coacti sunt persolvere. Constat enim Maiestati Vestrae, quod nec antiqua ipsorum seruitia sunt persoluta. Modo autem non possunt iam expectare, sicuti alio tempore. Nam alias eos partim ad labores emisimus, metere vel ligonizare, et sic victum sibi ipsis adquisierunt; sed nunc stare non possunt, quia deberent continue super ligna adesse, et si etiam aliquatenus liberi forent, nunc in Sirimio nemo facit ligonizare; nam jam pastores sunt ad vineas impositi incogniti; si igitur sex aut septem diebus Maiestas Vestra ipsis pecuniam non miserit, certe omnes aufugient.

Tota etiam rascianitas hinc de portu abiit, ad aliam partem Morosii, quia Maiestas Vestra non curauit quando scribebam; quod si Maiestas Vestra in tempore gentes huc demittere dignaretur, vel viginti mille homines possemus hic in portu gratis conservare, ex colonis; sed jam quando non habuerunt in quo sperarent, omnes abierunt.

Non habeo cui supplicarem, et quem peterem, ut huc veniat, quia Maiestas Vestra totum regnum suum vocat ad Tholna et ad Ezeek; poterant et ex isto vado transire ad Ezeek, et vadium hic cohibere cum ingeniis, immo et castra liberare, vel tantummodo illis succurrere. Sed in toto hic gentes non habemus armigeros, preter Domini Strigoniensis centum huzarones, eiusdem Domini Reuerendissimi Strigoniensis equi centum, Domini Quinqueecclesiensis octuaginta septem. Abbas Saxardiensis solus est hic, cum quinqua-

ginta armigeris et aliis quinquaginta hominibus. Item Dominus Raskay et Valentinus Thewrewk, qui Valentinus Thewrewk esurit, sicut mei, vel nazadiste, si Vestra Maiestas S. non prouiderit. Habent et ceteri tanta boni sicuti Dominus Valentinus Thewrewk, et tamen sine prouisione Maiestatis Vestrae non sunt.

Jam bene considerare poterit Vestra Maiestas S. exploratores suos ex omni parte regni sui, qui vera dixerunt. Ego ita intellexi, ut Cesar nec comburere, nec rusticos captiuare facit, et indempniter ubique procedit in regno Maiestatis Vestrae S.

Nunc ordinauit currus termille, pro ingeniis, pro lignis et tabellis, que dudum fecit fieri hic et in longitudine Danubii, pro pontibus et pro cemento.

Item leuauit summatim pertinencias propinquoires, et omnes habent ligones atque securim. Intellexi, quod interea non adducit vires nauales, nisi prius istud castrum, ut promisit, accipiet; quod ipse paruipendit, et pro jentaculo nominauit. Sed si Maiestas Vestra uellet, sperarem ego in Domino Deo, quod et prandium et cenam sub eo consumere posset. Tamen si Maiestas Vestra non curauerit, erit possibile forsan, ut sit illi pro jentaculo tantummodo. Reliquum est, ut Maiestatem Vestram altissimus Deus ad vota conseruet feliciter. Ex Castro Waradinensi feria quinta proxima post festum Visitacionis Marie anno 1526.

Eiusdem Vestre graciosissime Dominacionis

fideliis ipsius Capellanus  
Colocensis.

(Egykorú másolata a vatikáni titkos levéltárban.)

Közli: FRANKÓI VILMOS.